



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Tractatvs VIII. In Libros Aristotelis: De Priori Analysi Sev Resolvtione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

TRACTATUS VIII.

IN LIBROS ARISTOTELIS

DE

Priori Analyfi seu Resolutione.

1.



V O B U S his in Libris varia adfert Aristoteles de Syllogismo, Terminis & Propositionibus, ejus materiâ; de quibus nos satis in Præparamento Logico Disput. 1^a & 3^a. Nunc autem de nonnullis majoribus eò spectantibus difficultatibus, quæ pro merito ibi agitari non potuerunt, disputabimus.

DISPUTATIO PRIMA

De Discursu.

II.

Discursum definivimus & divisimus supra in Præparamento Logico Disp. 7. num. 387. Quare, sit

D V B I V M I.

An Discursus formalis debeat constare duplici præmissâ & conclusione.

R E S O L U T I O.

III. **I**co, ad hoc ut per Discursum formalem aliquid legitime concludatur, Discursus formalis constare debet duabus præmissis realiter inter se distinctis, vel saltem unâ præmissâ virtuali duabus illis æquivalente, & conclusione.

IV. Probatur, quia ut in conclusione prædicatum uniatur subjecto, debent prius prædicatum & subjectum fuisse in præmissis unita uni 3^o. juxta illud, *Quæcumque sunt eadem uni 3^o. sunt eadem inter se*; atqui ad hoc requiruntur duæ præmissæ realiter distinctæ, vel una virtualis, &c. ergo, &c.

V. Confirmatur, Discursus formalis est, qui concludit vi formæ, sed hæc est affirmativorum forma, *Quæcumque sunt eadem, &c.* Hæc vero negativorum, *Quæcumque non sunt eadem uni 3^o, non sunt eadem inter se.* Ergo, &c.

VI. Objicies, ex hac sola Propositione, *Omnis homo currit*, nullâ aliâ subintellectâ, rectè concluditur, ergo *aliquis homo currit*; sed ibi est Discursus, ergo, &c.

VII. Respondeo, negando majorem, nam debet hæc subintelligi, atqui *Aliquis homo continetur in omni*, ergo *aliquis homo currit*; alioqui non esset

identitas vi formæ inter prædicatum & subjectum. Ex his

VIII. Colliges, omnem Discursum rigorosè esse Syllogismum, ac proinde Enthimema, Dilemma, Exemplum, &c. non esse rigorosè Discursus, nisi subintelligatur aliqua Propositio, prædicatum & subjectum conclusionis cum 3^o conjungens.

D V B I V M II.

An Præmissæ Discursus formalis debeant esse judicativa, an non sufficiant apprehensiva.

R E S O L U T I O.

IX. **I**co, Præmissæ Discursus formalis debent esse judicativæ, nec sufficiunt apprehensivæ.

X. Probatur, quia Discursus formalis est 3^a mentis operatio, quæ à 2^a, sive 1^o judicio, in eo distinguitur, quod sit ex præviis judiciis, 2^a verò ex prævia, ut summum, apprehensione.

XI. Probant alii communiter hoc modo; Apprehensiones præmissarum, quas præsupponeret judicium consequentis, essent claræ, vel obscuræ; si claræ, non posset intellectus, utpotè agens necessarium, non ferre judicium circa præmissas objectivas; si obscuræ, non posset ferre judicium circa conclusionem seu consequens objectivum; quia illud debet sequi ex notioribus juxta illud Aristotelis 10. Post. cap. 2^o. *Si ob ea scimus & credimus, & illa sanè scimus & credimus magis.* Sed

XII. Contrà, illa probatio non videtur solida; quia (præterquam quod possit intellectus positâ specie

specie clarâ recordativâ sui objecti, illius non recordari; ita posita clarâ apprehensione sui objecti, potest circa illud non ferre iudicium) iudicium consequentis non necessariò præsupponit præmissas notiores; quia hæ non movent intellectum ad assensum conclusionis, quâ notiores, sed quia virtualiter continent conclusionem, vel potius, quia conclusio non est eadem cum illis. Ad Aristotelem verò Respondeo hic non audiendum, quia quod ibi dicit, non est satis fidei conforme, sequitur enim nos non magis revelationem Divinam scire & credere debere, quàm Deum esse trinum, quod propter Divinam revelationem scimus & credimus, cum tamen inter Propositiones fidei una non sit certior alterâ, magis quàm autoritas Dei revelantis sit uno tempore major alio.

D V B I V M I I I.

An Discursus seu 3^a. mentis operatio differat essentialiter à 2^a. seu iudicio simpliciter.

XXIII. **Q**uidam, sed pauci, volunt Discursum 3^{am} mentis operationem à 2^a solum differre connotato, hoc scilicet, quod una inferatur ex iudicio, altera ex apprehensione, contra quos, sit

R E S O L U T I O.

XXIV. **D**ico, Discursus sive 3^a mentis operatio distinguitur essentialiter à 2^a.

XXV. Probat, quia essentialiter est iudicium illatum ex alio iudicio, ut vidimus dubio 1^o. 2^a verò mentis operatio est iudicium ut summum ex apprehensione illatum, ergò distinguuntur inter se essentialiter.

XXVI. Probat 2^o. ubicumque est diversa applicatio objecti, & diversus modus tendendi in illud, est etiam diversitas essentialis actuum; sed inter 2^{am} & 3^{am} mentis operationem ista inveniuntur, ergò, &c.

XXVII. Probat minor pro 1^a parte 1^o, quia applicatio objecti consequentis formaliter sumpti, sive 3^a operationis, fit modo certo, id est per iudicium; applicatio verò objecti 2^a operationis modo incerto, id est, per apprehensionem, ergò, &c.

XXVIII. Probat minor pro 1^a parte 2^o, quia ut multi Theologi docent, charitas Patriæ per hoc tantum distinguitur à charitate viæ, quod illius objectum materiale clarè proponatur in Patria per visionem beatificam; huius verò objectum in via obscurè proponatur per actum fidei: ergò etiam iudicium illatum ex iudicio, & iudicium illatum ex apprehensione distinguuntur essentialiter. Probat consequentia, quia iudicium objectum suum clarè proponit, apprehensio verò obscurè, nam per hanc intellectus semper est in formidine de opposito, & per solum iudicium firmiter adhæret objecto, ergò, &c.

XXIX. Subsumo: atqui iudicium illatum ex iudicio est 3^a mentis operatio, & illatum ex apprehensione tantum, est 2^a, ergò 3^a & 2^a mentis operatio differunt essentialiter. Hinc etiam facile

XX. Probat ista minor, pro 2^a parte; ibi est modus tendendi in objectum diversus, ubi est diversa ratio formalis, sive motivum tendendi, &c. atqui in 2^a & 3^a mentis operatione est diversa ratio formalis sive motivum tendendi, &c. ergò, &c. Probat minor, iudicium non illatum ten-

dit in identitatem extremorum, ob connexionem, quam habent inter se; iudicium verò illatum in identitatem extremorum ob connexionem, quam habent cum aliquo 3^o, ergò differunt ratione formali, seu motivo tendendi.

XXI. Obijcies 1^o. diversa applicatio objecti non facit actum diversæ speciei, ergò 3^a mentis operatio non distinguitur specie à 2^a: Probat antecedens, applicatio ignis ad manum, & ad motio coloris ad oculum, à quocumque fiat, non inducit diversitatem specificam tactus vel visionis, ergò, &c.

XXII. Respondeo, distinguendo antecedens, diversa specie applicatio, in quam tendit actus, non facit actum specie diversum, nego antecedens; nam album modificat actum juxta diversitatem suæ naturæ, eodem modo ac objectum primum: hinc si idem paries modò concurrente lumine A. modò lumine B. diversæ speciei & clariori, repræsentaretur, videri deberet per distinctas specie visiones: diversa numero tantum applicatio vel diversa specie, in quam non tendit actus, non facit actus diversæ speciei, concedo antecedens: verum in 3^a & 2^a mentis operatione est diversa specie applicatio, & talis in quam tendit actus.

XXIII. Obijcies 2^o. Aristoteles 1^o. de Interpret. cap. 1^o. & 3^o de anima, meminit tantum duarum operationum mentis, scilicet compositionis sive ve iudicii, & simplicis apprehensionis, ergò, &c.

XXIV. Respondeo, Aristotelem ibi tantum attendere ad distinctionem inter iudicium & apprehensionem simplicem, non verò ad numerum operationum mentis, & quot sint: vel dic sub iudicio, quod est genus ad 2^{am} & 3^{am} operationem, comprehendendi 3^{am} operationem. Ex dictis

XXV. Colliges, 1^{am} mentis operationem tendere in objectum apprehensivè sive cognoscitivè tantum; 2^{am} verò cognoscitivè iudicativè, seu assertivè, non illativè ex prævio iudicio; 3^{am} denique cognoscitivè, assertivè & illativè ex iudicio prævio.

D V B I V M I V.

In quo iudicio sita sit essentia Discursus.

XXVI. **N**ota, Discursum multipliciter sumi. 1^o. prout tantum includit terminum à quo, id est, antecedens vel præmissas, ut cum dicitur, *Discursus est causa consequentis; demonstratio est Syllogismus generans scientiam, Syllogismus Dialecticus est Syllogismus generans opinionem.* Unde Aristoteles cap. 26. solas præmissas vocat Discursum sive Syllogismum.

XXVII. Sumitur 2^o. pro artefacto mentali Logico, conflato ex iudiciis antecedentis seu præmissarum & consequentis; secundum quod definitur Syllogismus ejus species præcipua, *Oratio in qua, quibusdam positis, &c. unde Aristoteles dicit ex una præmissa negativa & altera affirmativa fieri Syllogismum negativum.*

XXVIII. Sumitur 3^o. Discursus præcisè prout est 3^a mentis operatio. His prænotatis, sit

RESOLUTIO I.

xxix. **D**ico 1^o. Discursus sumptus ut causa consequentis, consistit in solis præmissis.

xxx. Probatur, quia, si ut causa consequentis consisteret in ipso consequente, consequens esset causa sui ipsius, quod implicat, ergo, &c. Probatur minor, quia, cum causa sit prior effectu, consequens esset, antequam esset, ut consideranti patebit, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

xxxi. **D**ico 2^o. si Discursus sumatur pro artefacto logico conflato ex iudiciis antecedentis & consequentis, essentia Discursus sita est in aggregato ex iudiciis antecedentis & consequentis.

xxxii. Probatur, Discursus sic sumptus includit in recto & æquè 1^o. illa iudicia tamquam sui partes intrinsecè componentis, ergo, &c.

xxxiii. Prob. assumptum, quia inde fit, quòd Aristoteles Syllogismum definiat *Orationem in qua quibusdam positis*, &c. & Discursus communiter definiatur *Cursum intellectus ab una cognitione ad aliam*, quia uti materialis plures passus, ita spiritalis plures cognitiones includere debet, ergo, &c.

xxxiv. Dices ex P. Comptono utramque istorum assumporum probationem maxime favere oppositæ sententiæ Discursum constituenti essentialiter in solo iudicio consequentis, ergo, &c. probatur antecedens pro 1^a parte, quia ly *in qua* in definitione Syllogismi ab Aristotele positum, non refertur ad ly *quibusdam positis*; sed ad ly *necessariò sequitur*, quasi dicat: *Syllogismus est oratio, in qua aliud necessariò sequitur, quibusdam positis*. Probatur antecedens pro 2^a parte, quia ratio & autoritas isti expositioni præponderat: docent enim Divus Thomas 1^a. p. q. 58. art. 3^o. & Aristoteles 1^o. Post. c. 1^o Discursum esse cognitionem unius veritatis post aliam, ergo, &c.

xxxv. Respondeo, negando assumptum; ad ejus probationem pro 1^a parte, Respondeo Patrem Comptonum non satis attendere ad ly *in qua*, quod consequens esse partem significat, & præmissas partes significat. Ad 2^{am} autem partem Resp. Patrem Comptonum à ratione nihil momenti adferre, uti nec ab autoritate; quia locus ille, qui ex Divo Thoma & Aristotele citatur, intelligi debet de Discursu sumpto pro 3^a mentis operatione præcisè secundum quod dicit in recto, juxta Resolutiones sequentes.

xxxvi. Confirmatur, Discursus sic sumptus est artefactum quoddam, sed artefacta sunt aggregata per accedens, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xxxvii. **D**ico 3^o. essentia Discursus præcisè sumpti pro 3^a mentis operatione, non est sita in iudicio antecedentis, seu præmissarum tantum; quia etsi illud sit respiciens aliud tamquam causa, non est tamen iudicium illatum ex aliis, quòd est de essentia Discursus, ergo, &c.

RESOLUTIO IV.

xxxviii. **D**ico 4^o. Discursus sumptus pro 3^a mentis operatione, non consistit in aggregato ex iudiciis antecedentis, & consequentis. Est contrà PP. Hurtadum, Arriagam, &c.

xxxix. Probatur, quia aggregatum illud non est simplex qualitas; sed tres mentis operationes sunt qualitates simplices, ergo, &c.

xl. Confirmatur; 1^a & 2^a mentis operatio, & similiter 3^a, realiter adæquatè inter se distinguuntur: sed si 3^a essentialiter consisteret in illo aggregato, essentialiter includeret 2^{am}, adeoque ab ea non distingueretur adæquatè, ergo, &c.

RESOLUTIO V.

xli. **D**ico 5^o. Discursus sumptus pro 3^a operatione essentialiter non consistit in iudicio de bonitate consequentiæ ut tali iudicio.

xlii. Probatur, quia illud *ut tale* non est necessariò illatum ex alio, ergo, &c. Probatur antecedens, casu quo per Deum intellectus ferretur in bonitatem consequentiæ per iudicium distinctum à iudicio consequentis formaliter sumpti, illud esset iudicium de bonitate consequentiæ, & non esset illatum ex alio, ergo essentia Discursus in eo non consistit.

RESOLUTIO VI.

xliii. **D**ico 6^o. essentia Discursus sumpti pro 3^a mentis operatione, secundum quod dicit intrinsecè & in recto, consistit in iudicio consequentis formaliter sumpti, id est, ut moraliter causatur à præmissis.

xliv. Probatur 1^o, quia aliud non suppetit, ut patet ex Resolutionibus præhabitis.

xlv. Probatur 2^o, quia in iudicio consequentis salvatur tota definitio Discursus sumpti pro 3^a mentis operatione, ergo, &c. Probatur antecedens, quia Discursus ut talis, definitur cognitio unius ex alio per distinctam cognitionem cognito, quod convenit tali iudicio, ergo, &c.

xlvi. Dixi, secundum quod dicit intrinsecè & in recto; quia sicut relatio non potest esse vel concipi sine termino; ita iudicium consequentis formaliter sumpti, nec esse, nec concipi potest sine iudiciis præmissarum, ex quibus infertur; & ad quæ dicit habitudinem tamquam ad terminum à quo: unde dic iudicia antecedentis esse de essentia Discursus, extrinsecè & in obliquo: Prout à nonnullis dicitur terminum esse de essentia relationis adæquatè fundamento identificatæ, quod supra à nobis impugnatum est.

xlvii. Objicies 1^o Discursus indifferenter dicitur transitus ab antecedente ad consequens, & è contrà, transitus à consequente ad antecedens, ergo, &c.

xlviii. Respondeo, negando antecedens pro 2^a parte; quia alioqui consequens esset causa antecedentis, sicut antecedens est causa consequentis, quod est falsum: ex eo verò, quòd sit transitus ad terminum à quo, sive à præmissis, ad consequens, solum sequitur præmissas esse de essentia Discursus, extrinsecè & in obliquo.

xlx. Objicies 2^o. discursus est instrumentum sciendi,

sciendi, ejusque nobilissima species est demonstratio, quæ est Syllogismus efficiens scientiam, ergo consistit essentialiter in solis præmissis: probatur consequentia, quia illis solis convenit esse instrumentum sciendi, & causam scientiæ.

L. Respondeo, sub distinctione si discursus sumatur ut instrumentum sciendi, & causa efficiens morali scientiæ, concedo totum juxta 1^{am} Resolutionem: si sumatur ut 3^a mentis operatio, & ut instrumentum formale sciendi, ac ut causa formalis scientiæ, consistit in solis præmissis, nego; imò repugnat ipsas præmissas esse instrumentum formale sciendi, aut causam formalem scientiæ; nam id est ipsa forma, quæ quis denominativè est sciens, quod à solo judicio consequentis formaliter sumpti habetur, licet ab ipsis præmissis dicatur quis, saltem improprie, efficienter moraliter sciens. Similiter distingue consequens.

LI. Objicies 3^o. ex D. Thoma; Judicium consequentis est velut forma, & judicium antecedentis velut materia; sed compositum ex materia & forma, materiam & formam dicit intrinsecè, ergo & Discursus judicium antecedentis & consequentis dicit intrinsecè.

LII. Respondeo 1^o. negando assumptum: nam inde sequeretur, Discursum conflatum ex judiciis antecedentis & consequentis non esse aggregatum per accidens, sed ens strictè per se, utpotè compositum ex materia & forma.

LIII. Respondeo 2^o. S. Thomam dicere veluti, id est, analogicè: nam sicut materia est indifferens ad plures formas, & illis mediantibus ad faciendum hoc vel illud compositum Physicum: ita judicium antecedentis est indifferens ad hoc vel illud judicium consequentis, illoque mediante ad faciendum hoc vel illud artefactum mentale Logicum.

LIV. Adde, si Discursus sumatur Logicè, sive pro aggregato; tum dicendum solum Syllogismum vocalem efficere scientiam, non mentalem; si verò velis dicere, etiam Syllogismum mentalem efficere scientiam; dic cum P. Arriaga efficere scientiam habituales, non actuales; scientiam autem habituales non esse conclusionem, sed effectum illius: & licet intelligeretur de actuali, dici posset Discursum mentalem ratione unius partis generare scientiam actuales, quæ sit altera compars illius Syllogismi, sicut equus dicitur sustentare formam suam, quæ est pars ipsius equi.

LV. Objicies 4^o. Contrà 5^{am} Resolutionem; in hoc Syllogismo, *Omnis consequentia, quæ nititur dicto de omni, servatis ceteris, est bona; at consequentia in Barbara est talis, ergo est bona consequentia in Barbara*; sed ibi est judicium consequentiæ, & est Discursus, ergo, &c.

LVI. Respondeo, in illo Syllogismo non esse judicium bonæ consequentiæ, prout consequentia est illa, in qua negamus constitui rationem Discursus; sed esse judicium consequentis formaliter sumpti, id est, ut dependentis ab antecedente, in quo constituimus rationem Discursus; judicat enim intellectus terminos conclusionis esse inter se connexos, ex vi connexionis in antecedente, cum medio scilicet dicto de omni; & sic ibi consequentia, non proprium, sed consequentis locum obtinet, adeoque nihil inde contra Resolutionem sequitur.

LVII. Objicies 5^o. contrà eandem Resolutionem; intellectus aliquandò transit à judicio ante-

cedentis ad judicium consequentiæ, vel saltem potest transire, ergo potest in aliquo casu Discursus consistere in judicio consequentiæ: Probatur consequentia, quia judicium consequentiæ sic esset ex antecedente judicio.

LVIII. Respondeo, quidquid sit de casu: distinguendo antecedens, potest fieri transitus à judicio antecedentis determinante intellectum ad judicium consequentiæ, nego antecedens: tamquam ab aliquo extremo, concedo ant. Iam autem ad rationem Discursus pertinet ut determinetur intellectus ratione objecti per præmissas judicativas ad objectum in conclusione ex præmissis, judicandum, quod non fit in transitu à judicio antecedentis ad judicium consequentiæ.

D V B I V M V.

An & qualis cognitio de bonitate consequentiæ requiratur ad assensum Conclusionis.

A Ntè Resolutionem
LIX. Suppono 1^o. ad hoc, ut ex præmissis legitime inferatur Conclusio, requiri dependentiam sive connexionem aliquam Conclusionis cum præmissis; nam aliqui Discursus esset successivus, & Conclusio materialis: non autem causalis, & Conclusio formalis.

IX. Suppono 2^o. in omni Discursu requiri in actu exercito judicium de bonitate consequentiæ; quia illud, ut jam dictum est, non distinguitur à judicio consequentis formaliter sumpti, quod, si non sit tota essentia Discursus, de quo infra, saltem est pars illius essentialis præcipua.

LXI. Suppono 3^o. inter judicium consequentis & præmissarum, quandò Syllogismus fit in modo imperfecto, in quo non satis elucet bonitas consequentiæ, v. g. in Baroco, plerumque mediare judicium de bonitate consequentiæ in actu signato; item etiam cum discurrens non est ita peritus, ut experientia docet.

LXII. Suppono 4^o. Dubium procedere, tam de cognitione apprehensiva (quam aliqui tantum requirunt) quam de judicativa, quam plures adstruunt. His suppositis, fit

R E S O L U T I O I.

LXIII. **D** Ico 1^o. cum R. R. P. P. Arriaga, Hurtado, Oviedo, Comptono, &c. non requiritur aliqua notitia expressa & in actu signato de connexionem actus consequentis formaliter sumpti, cum actibus præmissarum.

LXIV. Probatur, quia aliàs deberent attingi & repeti actus Conclusionis & præmissarum per talem actum; sed nullus id magis experitur, quam quod amando objectum se præmittere actum reflexum de illius bonitate experiat, licet fortè experiat se per actum Conclusionis repetere objectum præmissarum, ergo, &c.

LXV. Confirmatur, quia cum intellectus ad actum Conclusionis sufficienter determinetur per assensum præmissarum; & vel ipsis præmissis, absque prævio tali actu de consequentiæ bonitate, assentiatur, est omnino superfluous, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

LXVI. **D**ico 2^o. antè assensum conclusionis, debet præcedere expressè in actu signato apprehensio consequentiæ objectivæ, id est, identitatis & connexionis objecti conclusionis cum objecto præmissarum.

LXVII. Probatur, quia assentior conclusioni propter præmissas objectivas expressè & in actu signato; sed *ly propter* denotat talem connexionem, & antè omnem assensum, sive iudicium de quolibet objecto expressè & in actu signato, debet præcedere apprehensio, ergò, &c.

RESOLUTIO III.

LXVIII. **D**ico 3^o. non requiritur apprehensio consequentiæ formalis prout opponitur materiali, id est, identitatis & conjunctionis objecti conclusionis cum objectis præmissarum, secundum formam Logicam, sive figuram Syllogisticam.

LXIX. Probatur 1^o. quia solum debet præcedere apprehensio illius, quod expressè & in actu signato per iudicium attingitur; sed consequentia formalis prout opponitur materiali, non ita attingitur, sive à iudicio consequentis formaliter sumpti, sive ab alio iudicio distincto, sed solum implicitè & confusè, ergò, &c.

LXX. Probatur 2^o. quia in Syllogismis clarè & evidenter concludentibus, positis assensibus præmissarum, & dictà apprehensione, non experimur aliquid aliud requiri; sed intellectus, illis positus, per se sufficiens est ad assensum conclusionis, ergò, &c.

LXXI. Confirmatur, idè quia conclusio expressè & in actu signato non iudicat se causari à præmissis formalibus, nulla debet præcedere apprehensio expressè & in actu signato, de eo quod præmissæ sunt causa conclusionis; atqui conclusio non iudicat expressè & in actu signato consequentiam formalem prout opponitur materiali, ergò, &c.

RESOLUTIO IV.

LXXII. **D**ico 4^o. multò minus requiritur iudicium de bonitate consequentiæ, antequam eliciatur actus conclusionis.

LXXIII. Probatur quia per simplicem apprehensionem bonitatis consequentiæ, sufficienter movetur intellectus, ut propter præmissas eliciat actum conclusionis, ergò, &c.

LXXIV. Confirmatur, si tale iudicium ulterius requireretur, esset maximè, ut intellectus certus fieret de bonitate consequentiæ; sed ad id est superfluum, ergò, &c. Probatur minor, quia per iudicium consequentis formaliter sumpti, redditur sufficienter certus de bonitate consequentiæ; nam hoc ipsò, quod de illo fert iudicium, iudicat illud rectè sequi ex præmissis, & consequenter certus est, in actu exercito de bonitate consequentiæ, ergò, &c.

LXXV. Objicies 1^o. contrà hanc Resolutionem; inter disputandum solemus negare consequentiam, ergò iudicamus de illa.

LXXVI. Respondeo inter disputandum hoc fieri, quia timemus decipi, & consideramus, præsertim dum consequentia non est clara, utrum benè sequatur; cum verò soli argumentamur, sufficienter ferimur in conclusionem per solam apprehensionem bonitatis consequentiæ.

LXXVII. Objicies 2^o. contrà 2^{am} Resolutionem, si detur sufficiens apprehensio bonitatis consequentiæ, antequam eliciatur actus conclusionis.

R. P. Francisci Bone Spei Logica.

tiæ antè assensum conclusionis, intellectus necessariò fert iudicium de illa; ergò vel non datur apprehensio bonitatis consequentiæ, vel contrà Resolutionem 4^{am} requiritur iudicium de bonitate consequentiæ, antequam eliciatur actus conclusionis.

LXXVIII. Respondeo distinguendo antecedens, necessariò intellectus fert iudicium de illa, per eundem actum, quò iudicat conclusionem, concedo antecedens; per alium distinctum, nego antecedens: nam ille esset planè superfluous, inò non videtur naturaliter possibilis; quia, cum simul proponantur consequens, ratio assentiendi & bonitas consequentiæ; rapitur intellectus, antequam format iudicium in actu signato de bonitate consequentiæ, in assensum conclusionis, & simul etiam in actu exercito in ipsam bonitatem consequentiæ.

LXXIX. Objicies 3^o. apprehensio antecedentis, non est sufficiens, ut intellectus determinetur ad iudicandum illativè, sive ut determinetur ad iudicium consequentis formaliter sumpti; ergò neque apprehensio bonitatis consequentiæ sufficeret ad iudicandum de bonitate consequentiæ. Probatur consequentia à pari.

LXXX. Respondeo esse disparitatem in eo, quòd consequenti credamus, id est iudicemus, propter præmissas juxta Aristotelem citatum Dub. 1^o. eò scilicet, quòd contineant rationem formalem assentiendi conclusioni, puta identitatem prædicati & subiecti conclusionis cum 3^o. propter quod autem unum tale, & illud magis; non credimus verò, sive non assentimur consequenti propter consequentiam, saltem principaliter; nam sæpè est legitima consequentia, ubi consequens est falsum.

LXXXI. Dixi saltem principaliter; quia veritas consequentis non continetur virtualiter in consequentia, sed benè in præmissis, ut patet ex dictis.

LXXXII. Objicies 4^o. ipsæ præmissæ formales sunt loco apprehensionis, & sufficienter determinant intellectum ad assensum conclusionis; ergò superflua est apprehensio bonitatis consequentiæ.

LXXXIII. Respondeo negando antecedens; nam præmissæ formales solum proponunt rationem magis principalem assentiendi, scilicet, identitatem extremorum cum medio; non autem minus principalem, scilicet, identitatem extremorum inter se; unde requiritur aliqua apprehensio, quæ illam proponat.

LXXXIV. Objicies 5^o. ex P. Mendoza, si requiretur cognitio reflexa bonitatis consequentiæ, procederetur in infinitum; ergò, &c. pater sequela ant. quia ad cognoscendam bonitatem consequentiæ alieuus Syllogismi facti, v.g. in *Darii*: necesse est cognoscere Syllogismum esse in *Darii*: Deinde omnem Syllogismum in *Darii* rectè concludere, & hoc per aliquem Syllogismum, v.g. hunc *omnis Syllogismus in Darii rectè concludit: talis Syllogismus est in Darii; ergò rectè concludit*; unde de bonitate huius Syllogismi oportebit adhuc iudicare per alium Syllogismum, de quo adhuc redibit quæstio, & sic in infinitum.

LXXXV. Respondeo, illud totum supponere falsum, nimirum requiri inter iudicium antecedentis & iudicium consequentis, aliud iudicium de bonitate consequentiæ, quod nos non admittimus, sed solam apprehensionem, & sic ruit totum argumentum; cum apprehensio non acquiratur per discursum & Syllogismum, sed, positus duabus præmissis, excitetur, sicuti excitatur apprehensio conclusionis, positus præmissis.

Q

DV.

D V B I V M VI.

*An Iudicium consequentis formaliter sumpti
attingat objecta præmissarum.*

LXXXVI. **S**ensus dubii est, an v.g. actus, quo dico, ergo Petrus est animal, dicat, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo, ideo Petrus est animal; ita scilicet, ut per actum conclusionis, vel etiam cognoscatur totum objectum præmissarum, vel solum objectum conclusionis. Sed antè Resolutionem

LXXXVII. Suppono ex præmissis Tract. 1^o. objectum præmissarum & conclusionis, prout subsunt affirmationi, semper esse idem, licet prout subsunt apprehensioni prædicati solius, non semper sint idem, ut si v.g. præmissæ sint universales, & conclusio particularis, ut fit in *Darapti*. Neque est, quod P. Comptonus Logic. Disp. 47. Sect. 4^a. dicat in Syllogismis non expositivis, tantum esse verum, objectum conclusionis & præmissarum semper esse idem hoc sensu communiter quod objectum conclusionis contineatur in objecto præmissarum; ac proinde, quod objecta illa se habeant tamquam includens & inclusum. Rectè enim respondetur; quod sicut objecta præmissarum aliter sunt eadem inter se, quam, quia se habent ad invicem, ut includens & inclusum; ita & objectum conclusionis aliter est idem cum objectis præmissarum, quàm, quia se habet ad illa tamquam includens & inclusa; imò, ut sic, non esset idem cum illis, ut patet, alioqui vera esse deberet hæc Propositionio, magis includens actu, est minus includens actu, quæ est evidenter falsa: unde non satis apparet cur Pater Comptonus reprehendat, quod (inquit) à quibusdam Recentioribus passim & sine exceptione ponitur, scilicet, objectum præmissarum & conclusionis esse semper idem. His præmissis, fit

R E S O L U T I O.

LXXXVIII. **D**ico cōtrà RR. PP. Vasques 1^a. 2. Disp. 33. contrav. 3^a. & 4^a. Suarez 3. p. Disp. 54. Sect. 5. Hurtado de anima Sect. 7^a. Comptonum, Poncium, &c. iudicium consequentis formaliter sumpti attingit objecta præmissarum, ita Ruvius, Fonseca, Vallius, Arriaga, Oviedo, Soncinas, &c. sed maxime D. Thomas de verit. q. 22. art. 4^o. ad 3. & 12. q. 8. art. 3^o. in corp. Okam q. 3. prolog. Gabriël, Durandus, &c.

LXXXIX. Probatur, quia cum intellectus sit agens necessarium, necessariò attingit totum quod illi simul proponitur; sed illi simul cum objecto conclusionis proponitur objectum præmissarum, ergò, &c. Probatur minor, quia objectum conclusionis non proponitur simpliciter, & ut objectum conclusionis materialis, sed cum ratione principali assentiendi contenta in præmissis v.g. *Petrus est animal*, quia omnis homo est animal & *Petrus est homo*, & ut objectum conclusionis formalis, ergò, &c. unde miror P. Comptonum, loco statim citando, dicere manifestà experientià contrarium constare; neque id fieri nisi labore: quasi verò illa omnia objecta non simul & semel representarentur, & uno indivisibili actu simul & semel non attingerentur.

LXXXX. Confirmatur 1^o. intellectus assentitur conclusioni objectivæ, non propter se, sed propter

præmissas objectivas, neque ut conclusioni materiali, sed ut conclusioni formali; ergò objecta præmissarum, etiam formaliter, attingit; non quidem tamquam objectum extrinsecum, & ut ab aliis actibus representatum, ut vult P. Comptonus Log. Disp. 27. Sect. 5. sed tamquam objectum intrinsecum; alioqui non attingerentur à conclusione ut conclusionem formali, sed ut materiali, ut consideranti patebit, &c.

LXXXXI. Confirmatur 2^o. licet potio habeat in se sufficentem bonitatem ut per se terminet appetitum per modum finis; non attingitur tamen propter sanitatem sive per modum mediæ ad illam, quin attingatur intrinsecè sanitas; ergò similiter, licet conclusio objectiva habeat sufficientem veritatem ut per se terminet actum conclusionis, non attingitur tamen propter objecta præmissarum, quin attingantur intrinsecè objecta præmissarum.

LXXXXII. Confirmatur 3^o. iudicium consequentis formaliter sumpti dicit ergò, sed ly ergò, cum sit particula causalis, denotat aliquid præcedens attingi, ergò, &c.

LXXXXIII. Confirmatur 4^o. ly ergò est connexio objecti conclusionis cum objecto præmissarum; sed connexio, sive unio, attingi non potest sine suis extremis; ergò nec iudicium consequentiæ de illa connexione judicare potest, nisi judicet de extremis. Hinc

LXXXXIV. Collige, per eundem omnino actum, quo attingimus objectum conclusionis, attingi de novo objectum præmissarum, huiusque actus speciem in intellectu remanentem, esse, si adæquatè excietur, representativam objecti conclusionis & præmissarum; licet quandoque contingat per eam solum cognosci objectum materiale conclusionis; tunc scilicet, cum tantum excietur inadæquatè per apprehensionem præviam solus conclusionis materialis; uti etiam accidit in Angelis, in quibus, ut asserunt communiter Theologi, dantur species plurium representativæ, quibus inadæquatè uti possunt.

Solutio Objectionum.

LXXXXV. **O**bjicies 1^o. positis assensibus præmissarum excitatur apprehensio de identitate extremorum inter se; ergò poterit illi assentiri intellectus, etsi non assentiatur motivo contento in objecto præmissarum, sive in præmissis objectivis.

LXXXXVI. Respondeo distinguendo antecedens, positis assensibus præmissarum excitatur apprehensio de identitate extremorum inter se tantum, nego antecedens; excitatur simul cum apprehensione identitatis extremorum cum medio, concedo antecedens; sed nego consequentiam, quia, ut dictum est, intellectus necessariò attingit totum, quod sibi simul proponitur; nam agentia necessaria, quale est intellectus, agunt quantum possunt.

LXXXXVII. Instabis quid si hæc 2^a. apprehensio non excitetur, Deo id impediante?

LXXXXVIII. Respondeo iudicium ad eam consequens, non fore consequentis formaliter sumpti, sed iudicium simplex, & tantum 2^{am} mentis operationem, præmissis habentibus se merè per accidens; quia ab illis, ut proponentibus rationem formalem assentiendi, non dependeret.

LXXXXIX. Vrgēbis, si iudicium consequentis formaliter sumpti, attingat objecta præmissarum, ergò præmissas

præmissæ formales sunt superfluae.

c. Respondeo negando consequentiam; quia, antequam intellectus assentiatur objecto conclusionis, debet ipsi proponi ratio illi assentiendi, quod fit per præmissas formales: deinde præmissæ formales non tantum requiruntur ad proponendam rationem formalem assentiendi objecto conclusionis; sed etiam, ut intellectus sit certus de veritate objecti illarum, à qua pendet veritas consequentis, ut constat ex dictis dubio 1o.

c. i. Obijcies 2o. ex conclusione sequuntur multa absurda, ergo, &c. Probatur antecedens, nam sequitur 1o. iudicium consequentis in *Cesare*, ut nullus lapis est animal; omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis, esse negativum & affirmativum, quia tale est illius objectum. 2o. quod si una præmissa sit falsa, conclusionem etiam futuram falsam, contra Aristotelem dicentem *ex falso verum sequi*; & præterea etiam contra fidem, quia inde sequitur, ut notat P. Comptonus loco citato, hanc propositionem *Christus est homo*, esse falsam, si ex his præmissis, *omnis substantia est homo, sed Christus est substantia*, inferatur, ergo *Christus est homo*; hæreticum enim est dicere Christum esse hominem, quia substantia est.

c. ii. Respondeo negando antecedens; ad 1um autem absurdum. Respondeo distinguendo; iudicium consequentis in *Cesare* est affirmativum & negativum quatenus virtualiter multiplex, sive quatenus constans diversis propositionibus, quantum una sit affirmativa, altera negativa, concedo: quatenus omnino simplex, sive quatenus una propositione objectiva constans, quomodo etiam supra negatum est dari propositiones mixtæ qualitatis, nego; hoc verò posterius tantum esset absurdum, non prius; quia communiter admittitur eundem actum fidei simul esse affirmativum & negativum, ut dum credo Patrem in divinis non esse incarnatum, quia Deus revelavit; hæc enim ratio assentiendi semper etiam est affirmativa; imò in naturalibus id contingit, ut dum credo Papam non esse in Belgio, quia id Paulus dicit.

c. iii. Ad 2um Respondeo Aristotelem, vel intelligendum de Syllogismo vocali; quia in mente numquam verum asseritur propter falsum: vel dicendum eum loqui de conclusione vera materialiter, ac proinde de iudicio consequentis formaliter sumpti inadæquatè spectato, quod non est absurdum: spectatur autem iudicium consequentis, &c. inadæquatè, quando spectatur tantum secundum unam propositionem, quam attingit: ad P. Comptonum autem, Respondeo, hanc propositionem *Christus est homo* solum esse veram, & de fide materialiter, non verò formaliter ut conclusio est, per formam Syllogisticam deducta ex talibus præmissis, ut patet.

c. iv. Obijcies 3o. si per actum conclusionis attingeretur objectum præmissarum, sequeretur præmissas repeti à nobis, dum elicimus actum conclusionis; sed hoc est contra experientiam, ergo, &c.

c. v. Respondeo distinguendo sequelam. sequeretur præmissas repeti per eundem actum, quo elicimus conclusionem, concedo sequelam; per actum distinctum, nego sequelam: prius autem non est contra experientiam; & licet fortè videretur contra experientiam, non ita foret curandum, quia est difficultas magna nimis, in dignoscendis actibus nostris,

c. vi. Obijcies 4o. si actus conclusionis attingat objectum præmissarum, sequitur objectum consequentis numquam posse cognosci sine objecto præmissarum: sed hoc est contra experientiam, ergo, &c. licet enim cognoverim Deum per creaturas, quidni potero postea cogitare de Deo sine creaturis? Probatur major, actus conclusionis relinquit post se aliquam sui speciem; at hæc species, cum sit representativa omnium, quæ representabat actus conclusionis, necessariò concurret ad representandum totum, quod actus à quo derivata est, representabat, cum sit agens necessarium, ergo, &c.

c. vii. Respondeo negando sequelam majoris, quia una species relicta potest concurrere ad representandam unam partem objecti, & non aliam; Ratio est, quia, ut species moveat, requiritur aliquod phantasma, vel quædam alia conditio, quæ excitetur; unde si illa conditio nata sit excitare cognitionem unius tantum partis objecti, cognoscam tantum illam partem; uno v. g. actu cognovi Petrum & Paulum esse mortuos, longo post tempore agit aliquis mecum de gestis bellis Petri, nullà factà mentione Pauli; tunc excitatur species ut cogitem tantum de Petro, & non de Paulo.

c. viii. Obijcies 5o. ex R. P. Comptono etiam loco supra citato, juxta Aristotelem & Dialecticos omnes, medium ingredi non debet conclusionem, ergo Syllogismus in quo conclusio attingit objectum præmissarum est contra artem Syllogisticam.

c. ix. Respondeo, dictum illud, sic intelligi debere, ut medium non ingrediatur proprium objectum conclusionis, sive conclusionem materialiter sumptam, quod non impedit, quo minus ingrediat conclusionem ut conclusionem, sive conclusionem formaliter sumptam, & hujus objectum, prout constatur ex objecto conclusionis materialis, & præmissarum: & certè equidem, quandoquidem objectum conclusionis non proponatur intellectui, ut objectum materialis conclusionis, sed ut objectum formalis conclusionis, ac proinde cum ratione formali assentiendi contenta in præmissis objectivis, sive potius indistincta ab illis; intellectus non assentitur objecto conclusionis propter se, quod alioqui fieret, sed quia idem cum objecto præmissarum, juxta illud principium, *quacumque sunt eadem uni* 3o. &c. quod satis significat particula *ergo*, igitur, &c. præmissa conclusioni: unde positus assensibus præmissarum, excitatur intellectus ad iudicium objecti conclusionis simul & objecti præmissarum tamquam motivi, sive rationis assentiendi; quæ, quia debet prius proponi per præmissas formales, hæc non sunt superflue, licet actus conclusionis attingat objecta præmissarum; propter quod potest esse virtualiter affirmativus & negativus in *Cesare*, quod idem admittitur in actu fidei, ut dum credo Patrem non esse incarnatum, quia Deus revelavit, ut supra num. c. ii. dictum est.

CORROLARIA,

c. x. Colliges 1o. præmissas & conclusionem diversimodè manifestare rationem assentiendi; nam actus præmissarum, seu præmissæ formales ostendunt rationem assentiendi seorsim ab objecto conclusionis; actus autem conclusionis, sive conclusio formalis, conjunctim; fit autem ob imperfectionem intellectus nostri, quod requirantur

tur præmissæ; etenim intellectus noster procedit à minoribus ad maiora, à notioribus ad minus nota; objectum verò præmissarum est notius, quàm objectum conclusionis; deinde, sicut intellectus, ut eliciat 2^{am} operationem, incipit à prima; ita, ut eliciat 3^{am}, incipit à 2^a.

CXI. Colliges 2^o. ex dictis actum conclusionis esse formaliter & essentialiter actum deductum ex

alio, id est, assensum alicui objecto ob assensum alteri objecto præstitum; adeoque eundem speciei actum non posse esse modò conclusionem, modò actum præmissarum: & hoc contrà nonnullos opinantes actum conclusionis, talem dici, per denominationem extrinsecam, quòd nimirum hic & nunc oriatur ex præmissis.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Præmissis sumptis in ordine ad conclusionem.

DUBIUM I.

Quomodo concurrant ad actum conclusionis.

CXII. **A** Ntè Resolutionem
Nota dubium procedere de præmissis, tam objectivis, quàm formalibus; hinc quidam dicunt concurrere objectivè, quidam effectivè efficienter; alii efficienter moraliter tantum: rem totam distinctis conclusionibus elucidabimus. Sed prius

CXIII. Suppono 1^o. concurrere objectivè esse concurrere per modum objecti, sive esse idem, quod esse objectum actus; sic paries ad visionem, chimæra ad intellectionem objectivè concurrunt; unde, ut quidpiam objectivè concurrat, parum refert, an existat, vel non existat.

CXIV. Suppono 2^o. concurrere effectivè esse concurrere per veram efficientiam seu actionem, quà mediante effectus ponitur in esse reali Physico, diciturque essentiali habitudinem actualis dependentiæ à tali causa; sic ignis ad calorem, vel ad alium ignem concurrunt.

CXV. Suppono 3^o. id concurrere moraliter, quod ita ad effectum concurrat, ut etsi ad eum effectivè immediatè non concurrat, ei tamen communi sensu, & prudenti hominum iudicio imputatur effectus; quia nimirum suadet, invitat, impellit, ac determinat alterum ad effectivè Physicè ponendum effectum. His præmissis sit

RESOLUTIO I.

CXVI. **D** Ico 1^o. præmissæ objectivæ ad actum conclusionis concurrunt objectivè, sive per modum objecti, & non effectivè Physicè.

CXVII. Probatur 1^a pars, quia concurrunt ut ratio formalis assentiendi conclusioni; ergò concurrunt objectivè. Probatur consequentia, quia actus conclusionis attingit rationem formalem objectivam assentiendi, tamquam objectum formale; ergò, &c.

CXVIII. Probatur 2^a pars, quia sæpè præmissæ desierunt antequam produceretur conclusio, ut docuimus infra; sed causa efficiens debet existere eo instanti, quo primum producitur effectus, ergò, &c. Consequentia omnino videtur legitima: probatur minor, in qua sola difficultas; quia alioqui causa, quæ nunquam fuisset, posset causare Physicè, ex quo plurima sequuntur absurda, de quibus ex professo in Physicâ.

RESOLUTIO II.

CXIX. **D** Ico 2^o. Præmissæ formales, id est, actus Præmissarum, non concurrunt objectivè ad actum conclusionis.

CXX. Probatur, quia actus conclusionis solum attingit objecta Præmissarum, ut patet ex Dub. 3^o. Disp. 1^a. non verò actus formales earum, ergò, &c.

CXXI. Adde dici posse concurrere objectivè, hoc sensu, quòd sint applicatio objecti formalis actus conclusionis; sic enim applicatio causæ efficientis, ut v.g. approximatio illius ad passum, reducit ad causam effectivam, sive efficientem.

RESOLUTIO III.

CXXII. **D** Ico 3^o. neque Præmissæ objectivæ, neque formales concurrunt effectivè Physicè ad actum conclusionis: est contrà Ruvium & Vasquez 1. p. Disp. 4. num. 24.

CXXIII. Probatur 1^a pars, 1^o, quia Præmissæ objectivæ sunt planè improprietate ad actus intellectus immateriales producendos; sed ad producendos effectus requiritur aliqua proportio, prout docetur in Physica, ergò, &c.

CXXIV. Probatur 2^o, ex 2^a probatione 1^a. Resolutionis.

CXXV. Probatur 2^a pars, intellectus determinatus moraliter per actus formalium Præmissarum, est causa Physica sufficiens ad conclusionem eliciendam, ergò, &c.

CXXVI. Confirmatur 1^o, officium actus, non est effectivè Physicè ad alium actum concurrere, sed solum objectum suum potentia vitali representare, ut vel ex illius definitione patet, neque plus probat experientia, ergò, &c.

CXXVII. Confirmatur 2^o, actus intellectus non concurrunt effectivè Physicè ad actus voluntatis, ergò neque ad alios actus intellectus. Probatur consequentia, quia non aliter actus conclusionis pender ab actibus Præmissarum, quàm actus voluntatis ab actu intellectus, scilicet tamquam à proponente objectum, ergò, &c.

CXXVIII. Obicies, Præmissæ substituuntur loco speciei impressæ representativæ conclusionis; sed illa species, dum est, compler potentiam in ratione potentis producere actum conclusionis effectivè Physicè, ergò & præmissæ, quæ sunt loco speciei.

CXXIX. Responderi potest negando maiorem; quia antequam produceretur conclusio, si sit omni-

potè, quæ quasi manu-ducatur ipsum intellectum ne erret circa conclusionem; ipsi persuadendo, licet confusè, Præmissas aliàs elicitas fuisse legitimas.

D V B I V M I I.

Quomodo Præmissæ formales necessitent intellectum ad conclusionem.

A Ntè Resolutionem
CXLVII. Suppono 1^o. potentiam esse duplicem, unam naturalem sive necessariam, alteram indeterminatam sive liberam: libera est, quæ ex proprio operandi modo, est indeterminata ad unum; sive, quæ agit per modum voluntatis; vel clariùs, quæ positis omnibus ad eligendum requisitis potest eligere vel non eligere: Potentia verò necessaria est illa, quæ ex proprio suo operandi modo, est determinata ad unum: sive, quæ agit per modum naturæ, vel clariùs, quæ positis omnibus ad agendum requisitis semper necessario agit.

CXLVIII. Potentia necessaria dividitur in nullo modo pendente ab applicatione voluntatis, qualis est potentia visiva, vegetativa, &c. & in dependentem ab ejus determinatione seu applicatione, ut est potentia loco-motiva, illativa, &c.

CXLIX. Potentia dependens ab applicatione voluntatis subdividitur in obedientem voluntati despoticè & ad nutum, sive serviliter, talis potentia est loco-motiva; & in obedientem voluntati politicè & civiliter, id est, ad modum civium, qui quandoque contra suum principem reclamant ac rebellant, talis potentia est intellectiva, sensitiva, phantastica, &c.

CL. Suppono 2^o. duplicem esse necessitatem: una est quoad specificationem, & huic opponitur libertas contrarietatis; hæc autem necessitas reperitur ubi potentia est determinata ad unum unius speciei actum, si opereatur: altera quoad exercitium, & huic opponitur libertas contradictionis; hæc verò necessitas reperitur ubi potentia ita ponit actum, ut non possit actum non ponere, sive cessare ab operando.

CLI. Suppono 3^o. intellectum esse agens necessarium de se, concipi tamen posse duplici modo, impediri ejus actionem à voluntate; 1^o, directè; 2^o, indirectè; directè impediretur, si non obstante quacumque evidenti propositione objecti posset voluntas solo suo arbitrio impedire & frenare intellectum, ne in actum prodiret: indirectè verò impediretur, si voluntas intellectum aliò avocaret, & tot objectis aliis distraheret, ut nullæ vires superessent intellectui ad eliciendum actum, in quem aliqui antè erupisset. His notatis fit

R E S O L U T I O I.

D Ico 1^o. intellectus, positis assensibus Præmissarum evidentiū & apprehensione de bonitate consequentiæ; necessitatur ad assensum conclusionis, saltem quoad specificationem, id est, non potest ponere assensum contrarium illis assensibus Præmissarum. Ita ferè omnes.

CLIII. Probatur 1^o. non potest intellectus dissentiri evidenter verò, & assentiri evidenter falso; sed si intellectus, positis assensibus Præmissarum evidentiū & apprehensione de bonitate consequentiæ, non necessitaretur ad assensum conclusionis quoad specificationem, hoc contingeret, ergò, &c. Probatur major, quia aliqui per dissensum ferretur extrà latitudinem objecti dissensus, quod est

falsitas realis vel apparens; & per assensum extrà latitudinem objecti assensus, quod est veritas realis vel apparens: sed hoc implicat, ergò, &c. Probatur minor, quia per assensum Præmissarum proponuntur intellectui extrema conclusionis ut evidenter eadem cum 3^o; sed quæ sunt evidenter eadem unitertio sunt eadem inter se; ergò dissentiens conclusioni dissentiretur evidenter verò. Idem similiter contingeret, si positis dissensibus Præmissarum assentiretur conclusioni.

CLIV. Probatur 2^o. conclusio est eadem cum Præmissis; sed intellectus non potest evidenter cognito verò vel falso assentiri & dissentiri simul, quod hic aliqui fieret, ergò, &c. Probatur minor pro 2^a parte, quia intellectus, positis assensibus Præmissarum, cognoscit evidenter conclusionem esse veram, juxta principium allatum, quæcumque sunt eadem, &c. & e contra, positis dissensibus Præmissarum, cognoscit evidenter conclusionem esse falsam, juxta oppositum principium, quæcumque non sunt eadem, &c. unde fit, quòd Aristoteles Syllogismum definat, *Orationem in qua, quibusdam positis, aliud necessario sequitur, eò quòd hæc sunt*, ergò, &c.

CLV. Confirmatur, sicut malitia est objectum odii, bonitas objectum amoris; ita falsitas est objectum dissensus, veritas objectum assensus; ergò sicut voluntas, posito evidenter bono, & posito evidenter malo, determinatur quoad specificationem actus, sic, ut si velit ferri in bonum, illud necessario amet; si verò velit ferri in malum, necessario illud odio habeat; ita à fortiori, intellectus, cum sit agens necessarium, determinatur quoad specificationem ad assensum vel dissensum, proposito evidenter verò vel falso: atqui, ut ostendimus, positis assensibus præmissarum, proponitur conclusio evidenter vera, & e contra positis dissensibus Præmissarum, proponitur conclusio evidenter falsa, ergò, &c.

R E S O L U T I O I I.

D Ico 2^o. positis assensibus, etiam probabilibus tantum, & apprehensione de bonitate consequentiæ, necessitatur similiter intellectus quoad speciem, sive quoad specificationem ad actum conclusionis, quatenus ex illis Præmissis infertur. Hic tamen antè probationem.

CLVII. Adverte, per assensum Præmissarum nos intelligere actus, quibus intellectus judicat Præmissas esse veras, non autem actus, quibus judicat illas esse probabiles; aliqui posset illis positis dissentiri, quia cum probabili falsum subesse possit, ita etiam illi dissentiri potest. Hoc autem notato

CLVIII. Probatur conclusio, quia, uti ex Resolutione 1^a sequitur, aliàs assentiretur eidem objecto cognito evidenter verò & dissentiretur eidem objecto cognito evidenter falso, quod ibidem implicare probavimus, ergò, &c.

CLIX. Probant alii hoc modo, nequit intellectus simul assentiri & dissentiri eidem objecto; sed hoc fieret, ergò, &c. verum huic probationi ego non multum fiderem; quia nisi majori addatur, id quod in Resolutione addidimus, nempe quatenus conclusio ex illis Præmissis infertur, nihil obstat videtur, quò minus assensus & dissensus de eodem objecto conclusionis probabili, simul sint, per diversas Præmissas & motiva diversa, in eodè intellectu.

CLX. Objicies 1^o. potest intellectus Præmissis probabilibus, utpotè non evidenter veris, dis-

sentiri; ergo multo magis conclusioni, quæ in illis virtualiter tantum continetur, poterit dissentiri, positis assensibus Præmissarum probabilium.

CLX. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, quod scilicet conclusio probabilis positis assensibus Præmissarum sit evidenter vera, evidentiâ consequentiæ; juxta illud principium, *quæcumque sunt eadem uni 3^o. sunt eadem inter se*, licet non sit evidenter vera evidentiâ consequentis, in quo conclusio probabilis differt à necessaria; non potest autem intellectus dissentiri quomodocumque evidenter vero, licet probabili possit: Præmissæ verò probabiles non sunt evidenter veræ, sed probabiles tantum, ut patet.

CLXI. Objicies 2^o. potest voluntas inclinare intellectum ad quemlibet actum contrarietatis probabilium actuum; ergo intellectus, positis assensibus Præmissarum, poterit dissentiri conclusioni, si nimirum à voluntate ad dissentum inclinetur.

CLXII. Respondeo concessio antecedente, negando consequentiam; quia conclusio, quatenus legitime deducitur ex Præmissis, quibus sum assensus, non censetur amplius probabilis, licet absolute & secundum se sit talis; sed censetur evidenter vera evidentiâ consequentiæ, propter principium sæpe datum, *quæcumque sunt eadem*, &c. intellectus autem, ut antè diximus, non potest dissentiri evidenter verò, sicut voluntas non potest odisse bonum quia bonum, & amare malum quia malum est.

CLXIII. Addo tamen intellectum, ut supra insinuavi, posse etiam positis assensibus Præmissarum probabilium dissentiri conclusioni quatenus legitime ex aliis Præmissis, quibus ero dissensus, deducitur; ac per consequens assensum & dissentum de eodem objecto conclusionis per diversa media & præmissas diversas posse simul manere in eodem intellectu; sic tamen, quod objecto conclusionis, quatenus ex Præmissis, quibus sum assensus legitime deducitur, non possim dissentiri; item quod objecto conclusionis, quatenus ex Præmissis, quibus sum dissensus, legitime deducitur, non possim etiam assentiri; sed tantum eidem objecto assentiri & dissentiri, quatenus ex diversis Præmissis deducitur; si enim his Præmissis, *quidquid Petrus dicit est verum*; sed Petrus dicit Papam esse Romæ, assentiar, non possum huic conclusioni dissentiri, ergo *Papa est Romæ*; possum autem, si his Præmissis, *quidquid Paulus dicit est falsum*, sed Paulus dicit Papam esse Romæ, dissentiar; imò si primis Præmissis, ut possum, dissentiar, possum & conclusioni, ut patet, licet non possim, si illis assentiar, ob prius probata.

RESOLUTIO III.

CLXIV. **D**ico 3^o. positis assensibus Præmissarum evidentiæ, & apprehensione de bonitate consequentiæ necessitatur intellectus quoad exercitium ad assensum conclusionis, ita scilicet, ut non possit cessare ab assensu, vel assensum suspendere; & idem est de dissensu, positis dissensibus Præmissarum evidenter falsarum. Omnino videtur Scoti in 1^{um} dist. 13. q. 4. & Scotistarum communis; item D. Thomæ 1. p. q. 82. art. 2. ac nostrorum Complutensium, hic Disp. 17. q. 4. & Ioan. à S. Thoma q. 24. de Præcognitis art. 3^o. item etiam Conimb. lib. 1^o. Post. cap. 1^o. q. 4. art. 4^o. contra Ruvium, Averfam, Ocham, Murciam & Tellez.

CLXV. Probatur, potentia necessaria definitur, quæ positis omnibus ad agendum requisitis semper necessariò agit; atqui in casu conclusionis sunt omnia ad agendum requisita, & intellectus est potentia necessaria, nam sola voluntas est formaliter libera, ut satis constat, ergo, &c.

CLXVI. Respondent communiter Adversarii deesse unum è prærequisitis, scilicet permissionem & imperium voluntatis; volunt enim intellectum operari non posse, nisi accedat imperium voluntatis, aut saltem ejus permissio. Sed

CLXVII. Contrà est, quod, sicut oculus positus omnibus ad videndum requisitis, objecto scilicet, lumine, &c. non expectat imperium aut permissionem voluntatis, sed rapitur ab objecto in actum; quia scilicet est potentia necessaria hic & nunc ad agendum expedita; ita intellectus, ergo, &c.

CLXVIII. Vrgent esse disparitatem; eò quod scilicet intellectus radicetur in anima, non item potentia visiva; ex quo fit ut intellectus sit immediate subjectus voluntati, ac proinde, quod voluntas possit eum impedire ne feratur in objectum, etiam evidens, non item visum. Sed

CLXIX. Contrà est 1^o. quod probabilis sit omnes potentias externas etiam recipi & radicari immediate in anima, ita P. Arriaga, imò & eidem identificari, de quo in libris de Anima.

CLXX. Contrà est 2^o. quod radicio illa sit impertinens ad probandam subjectionem potentie ad voluntatem; nam potentia loco-motiva magis subiecta est voluntati, eique magis obedit, quam potentia intellectiva; eò quod illa, cū per se cognoscitiva non sit, uti est intellectiva, per se independenter à voluntate moveri non possit; & tamen non radicatur, in eorum sententia, immediate in anima.

CLXXI. Addo nonnisi requiri voluntatis determinationem & imperium, ubi intellectus est ad assensum universalem vel particularem (quomodo ex iisdem Præmissis in *Barbara*, universalis; in *Baralipon*, particularis, quamdiu ad unam potius, quam ad aliam apprehensio bonitatis consequentiæ non præmittitur, conclusio inferri potest) planè indifferens & indeterminatus; vel etiam, ubi objectum nimis obscure proponitur, propter quod docent Theologi ad omnem assensum fidei in Præmissis quia obscure sunt, requiri piam affectionem, sive inclinationem voluntatis: vel denique, dum objectum apparet in utramque partem probabile, uti sunt Præmissæ Syllogismi probabilis; hoc enim sensu loqui omnino videtur Aristoteles, dum 1^o. Politicorum cap. 3^o. vult intellectum despoticè subesse imperio voluntatis.

CLXXII. Objicies 1^o. intellectus non necessitatur ad assensum principiorum evidentiæ; atqui evidentiâ conclusionis, etiam positis assensibus Præmissarum, non est notior evidentiâ illorum principiorum, ergo, &c.

CLXXIII. Respondeo negando majorem, cum D. Thoma & aliis communiter; deinde negari potest consequentia, admittà majorem; quia est disparitas, qui enim assentitur principiis evidentiis, non assentitur eidem, cui immediate antè assensus erat; quod fit, dum assentitur conclusioni; nam illi implicite assensus est in Præmissis, in quibus ipsa virtualiter & implicite continetur.

CLXXIV. Objicies 2^o. voluntas ad nullum bonum necessitatur in hac vitâ, ergo nec intellectus ad ullum verum.

CLXXV. Respondeo negando consequentiam; quia est disparitas duplex; 1^o, quod voluntas sit formaliter libera; intellectus verò potentia formaliter necessaria; 2^o, quod in hac vitâ nullum detur bonum purum; sed quodlibet sit malo admixtum; datur autem purum verum, saltem apparenter, ut patet ex conclusione legitimè deducta ex Præmissis, quibus assensum sumus.

CLXXVI. Obijcies 3^o. in intellectu dantur habitus facilitantes ad assensum conclusionis; ergo assensus conclusionis, etiam positus assensibus Præmissarum, non est necessarius: probatur consequentia, quia alioqui tales habitus essent superflui.

CLXXVII. Respondeo, transeat antecedens, nego consequentiam; ad ejus probationem distinguo: tales habitus essent superflui ad determinandum intellectum, vel ad speciem, vel ad exercitium, concedo: ad modum operandi, nego; essent enim utiles ad hoc, ut intellectus aliis distractus, & frequentiori operatione fatigatus, minori cum advertentia, & debiliori concursu, actus conclusionis eliceret.

CLXXVIII. Dixi, transeat antecedens, quia tales habitus à speciebus distinctos multi probabiliter negant; nos, uti species intellectuales ab intellectu realiter distinctas negamus, ita & habitus; sed de his ex professo in libris de anima.

CLXXIX. Obijcies 4^o, ex iisdem Præmissis possunt sequi plures conclusiones, directa scilicet & indirecta, sed non est ratio; quare intellectus ad unam potius dicatur determinari, quam ad aliam, ergo, &c.

CLXXX. Respondeo negando minorem; nam per cognitionem bonitatis consequentiæ apprehensum est unam conclusionem sequi vel duas: si unam, necessitabitur intellectus ad illam, quæ apprehenditur legitimè sequi; si duas, ad utramque necessitabitur; undè passim admittitur, non posse voluntatem directe impedire assensum conclusionis; quia quod Aristoteles 1^o Polit. cap. 3^o, dicit intellectum despotice subesse imperio voluntatis, intelligi debet, ut supra num. CLXXI. monuimus, quoad assensum probabiles & obscuros Præmissarum: quod verò aliqui dicunt posse indirectè, efficiendo nimirum, ut intellectus tot aliis rebus distrahatur, ut non remaneant vires ad assensum conclusionis eliciendum; non videtur ita certum; dicendum enim est intellectum tali casu cessaturum potius ab aliquo alio actu, & tum eliciturum conclusionem ob determinationem Præmissarum: tunc enim positus assensibus Præmissarum, parvæ, aut vix ullæ vires requiruntur ad assensum conclusionis.

RESOLUTIO IV.

CLXXXI. **D**ico 4^o. positus etiam assensibus Præmissarum probabilium & cognitâ bonitate consequentiæ, necessitatur etiam intellectus ad exercitium quoad assensum conclusionis, est contra Conimbricensis & alios communius: tamen

CLXXXII. Probatur, intellectus necessitatur ad agendum positus omnibus ad agendum requisitis; sed positus assensibus Præmissarum etiam probabilium & cognitâ bonitate consequentiæ sunt posita omnia requisita ad assentiendum conclusioni ex illis deducta, ergo, &c.

CLXXXIII. Confirmatur, intellectus necessitatur ad exercitè assentiendum evidenter vero ut tali proposito; atqui positus assensibus Præmissarum,

etiam probabilium, conclusio est evidenter vera evidentiâ consequentiæ, & per illos ut talis proponitur, ergo, &c. major patet, quia nihil apparet, quod illum remoretur.

CLXXXIV. Dices 1^o, ergo non differt conclusio probabilis à necessaria.

CLXXXV. Respondeo negando consequentiam; nam semper manet, quod conclusio probabilis sit tantum necessaria & evidens necessitate & evidentiâ consequentiæ; conclusio verò necessaria est talis necessitate & evidentiâ consequentis.

CLXXXVI. Dices 2^o. fortius rapitur intellectus ab imperio & determinatione voluntatis, quam ab objecto probabili apprehenso vel judicato; ergo poterit voluntas suspendere assensum intellectus, & illum cogere ut attendat rationes in contrarium; probatur antecedens, quia non obstante illâ apprehensione vel judicio manet intellectus incertus, & in periculo errandi, ergo, &c.

CLXXXVII. Respondeo distinguendo antecedens, fortius rapitur intellectus ab imperio voluntatis, quam ab objecto probabili judicato probabili tantum, concedo antecedens; nam dum intellectus judicat suum objectum tantum esse probabile, necessaria est determinatio voluntatis ad hoc, ut illi assentiatur vel dissentiat, quorum alterutrum potest; judicato vero vel falso, nego antecedens; nam alioqui potentia necessaria, positus omnibus ad agendum requisitis, non necessariò ageret.

CLXXXVIII. Instabis, non obstantibus assensibus Præmissarum, conclusio manet obscura & probabilis, ergo, &c.

CLXXXIX. Respondeo distinguendo antecedens, conclusio manet materialiter & secundum se spectata obscura & probabilis, concedo antecedens: formaliter, quatenus legitimè deducitur ex Præmissis, vel potius quatenus virtualiter continetur in illis, quibus supponitur intellectus fuisse assensus, tamquam veris, nego antecedens; nam ut sic est evidens evidentiâ consequentiæ, & etiam certa certitudine ejusdè consequentiæ; undè patet conclusionem esse certo sensu clariorem & certiorè Præmissis, ex suppositione scilicet legitimæ consequentiæ.

CXC. Urgebis, si Præmissis sit clarior & certior conclusio, ut quid, quandoque Responsalis, concessis Præmissis, hæret, & subdubitat, an velit conclusionem concedere, an negare?

CXCI. Respondeo id fieri, vel quia Præmissis est assensus cum formidine tantum de opposito, undè adhuc timet eas esse falsas; vel quia consequentia non satis clarè proponitur.

CXCII. Dices 3^o, S. Thomas 1^a. p. q. 82. dicit, esse quædam intelligibilia, quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia, ut *propositiones contingentes*, & talibus intellectus non necessariò assentitur, ergo, &c.

CXCIII. Respondeo S. Thomam loqui de propositionibus contingentibus materialiter spectatis; vel de illis quatenus sunt Præmissæ in Syllogismo; non verò de propositionibus contingentibus, quatenus legitimè deducuntur ex præmissis concessis, quod hic solum asserimus: clarum autem est intellectum posse propositioni contingenti non illatè assentiri vel dissentiri pro imperio voluntatis; non posse verò illatè, jam concessis Præmissis; hac Resolutione contendimus.

D V B I V M III.

An in uno & eodem instanti formari possint assensus Præmissarum & conclusionis.

A Ntè Resolutionem
CLXXXV. Suppono 1^o. certum esse assensum Præmissarum prius naturâ formari, quàm assensum conclusionis; quia, ut dictum est, Præmissæ sunt illius causâ efficiens moralis; imò quandoque contingit eas prius tempore formari, si nimirum sint obscuræ, & consequentia inevidens, ac non satis clara.

CLXXXVI. Suppono 2^o. actus intellectus, ut potè indivisibiles, non successivè, sed instantaneè produci.

CLXXXVII. Suppono 3^o. dubium intelligi debere sepositis impedimentis; nam si intellectus tam multa alia cogitaret, fieri posset ut eliceret Præmissas, & fortè non posset elicere conclusionem; quia cum sit limitatæ virtutis, non potest quoscunque actus producere, sed determinatè hos numero nobis ignoto. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

CLXXXVIII. **D** Ico 1^o. assensus Præmissarum & conclusionis possunt in uno eodemque instanti produci.

CLXXXIX. Probatur 1^o. autoritate Aristotelis 1^o. Posterior.

cc. Probatur 2^o. neque id repugnat ex parte ipsorum assensuum; neque ex parte intellectus, ergò, &c. Probatur antecedens pro 1^a parte, quia assensus illi sunt indivisibiles, & toti simul producuntur: deinde eo instanti, quò intellectus producit assensus Præmissarum claros, habet omnia requisita ad producendam apprehensionem bonitatis consequentiæ, & ipsam conclusionem, ergò, &c. Probatur antecedens pro 2^a parte, quia potentia sensitivæ possunt simul & semel versari circa diversa objecta, ut patet in audiente concentum musicum, ergò multò magis intellectus.

ccI. Confirmatur, potest intellectus plura simul cognoscere per diversas cognitiones, ut patrem & filium, conferendo illos inter se; imò & constituendo inter illa differentiam; ergò etiam objecta Præmissarum & conclusionis per plures cognitiones eodem instanti, Probatur consequentia, quia ista comparatio non minuit, sed potius auget difficultatem, ergò, &c.

ccII. Objicies 1^o. ex S. Thoma 1. p. q. 14. art. 17. discursus secundum causalitatem, includit discursum secundum successionem.

ccIII. Respondeo S. Thomam non loqui universaliter de omni discursu secundum causalitatem sive causali; sed de eo tantum, cuius, vel Præmissæ sunt obscuræ, vel consequentia non satis clara, quo casu, intellectus successivè Præmissas & conclusionem producit, dum scilicet illam difficultatem superavit.

ccIV. Objicies 2^o. Aristoteles, 2^o. Topic. cap. 15. ait, *contingit nos multa scire, cogitare autem non*; ergò non possunt esse simul plures cogitationes in intellectu, sive plures assensus.

ccv. Respondeo negando consequentiam, quia

Aristoteles solum vult nos multa scire per scientiam habitualement, vel habitualiter, de quibus per apprehensionem actualement, sive actualiter, non cogitamus; intendit enim tantum probare *scire & cogitare* distingui.

ccvi. Objicies 3^o. corpus non potest simul recipere figuras diversas, v. g. rotunditatem, & quadraturam, ergò nec intellectus potest habere simul plures actus. Probatur consequentia; quia actus in intellectu sunt figuræ intellectus; ergò, &c.

ccvII. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, quòd scilicet figuræ diversæ in corpore requirant situs diversos & repugnantes, si ve impossibiles; non verò actus intellectus, qui sunt tantum figuræ intentionales, & valde improprie.

ccvIII. Objicies 4^o. duo accidentia ejusdem speciei v. g. duæ albedines, non possunt esse simul in uno subjecto, puta in gradu æquè intenso; ergò nec simul plures actus in eodem intellectu.

ccix. Respondeo negando consequentiam; nam est disparitas, quòd actus sint accidentia diversi muneris, & dicentia ordinem ad aliquid extrinsecum, quæ proinde simul esse possunt in eodem subjecto: nam in eodem indivisibili aere sunt plures species visuales, in eodem intellectu plures species impressæ, quidni & expressæ, sive actus? albedines verò sunt accidentia ejusdem muneris, & absoluta, non sumentia speciem à subjecto, sicuti fortè sumunt illi actus ab objecto.

ccx. Objicies 5^o. si assensus Præmissarum essent simul in intellectu cum assensu conclusionis, idem objectum v. g. conclusionis, cognosceretur simul confusè & distinctè; confusè per actum Præmissarum, distinctè per actum conclusionis; quod dici non potest; ergò, &c.

ccxi. Respondeo 1^o. id non esse absurdum; quia si in concreto prædicarem definitionem de definito, v. g. *homo est animal rationale*; tunc idem cognosceretur distinctè & confusè.

ccxII. Respondeo 2^o. assensum Præmissarum tantum tendere virtualiter in objectum conclusionis.

R E S O L U T I O II.

ccxIII. **D** Ico 2^o. assensus Præmissarum necessariò in intellectu, saltem virtualiter in recordatione actuali, perseverant eo tempore, quo producit assensus conclusionis.

ccxiv. Probatur, quia applicant objectum formale, sive rationem assentiendi conclusioni; sed causâ, quæ saltem in suâ actione non est actu, non potest agere, ergò, &c. Probabitur minor in Physica; major probata est suprâ, & consequentia est legitima.

ccxv. Objicies 1^o. eò tempore, quò assentimur conclusioni, non experimur nos assentiri præmissis, ergò assensus Præmissarum tunc non perseverat.

ccxvi. Respondeo negando consequentiam; quia omnes experiuntur se, vel per iudicium, vel saltem per apprehensionem, recordari dicitarum Præmissarum formalium; ideoque in conclusione dixi, *saltem virtualiter*: deinde fieri potest, ut tum etiam Præmissis assentiamur, licet id ob nimiam intellectus agilitatem, non advertamus.

Objicies

CCXVII. Objicies 2^o. eo tempore quo assenti-
mur conclusioni, licet assensus præmissarum defie-
rint, manent in intellectu eorum habitus, qui vices
illorum suppleant, ergo, &c.

CCXVIII. Respondeo negando antecedens, pro

2^a. parte, nam proprium habituum non est fungi
munere actuum, à quibus producuntur; sed tan-
tum intellectum inclinare & facilitare ad actus si-
miles illis, à quibus producuntur: deinde, ut dixi-
mus, non dantur habitus in intellectu.

TRACTATUS IX.

IN LIBROS ARISTOTELIS

DE POSTERIORI ANALYSI.



Uta hîc tractat Aristoteles, quæ in scopum
nostrum non collimant, & minus necessaria
videntur ad Theologiam, ad quam præsentis
Tractatus specialiter ordinamus; quia ta-
men postquam de Præmissis disputatum est, ordo &
doctrinæ scopus exigunt, ut de Demonstratione &
scientia Demonstrationis effectibus agamus, primùm
de illa: deinde de Scientia in genere: denique de Sci-
entia in particulari, videlicet Logica, ad complemen-
tum hujuscè Commentarii, disputabimus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Demonstratione.

DUBIUM I.

*Quomodo rectè definiatur demonstratio
in genere.*

RESOLUTIO I.



Ico 1^o. præter Demonstrationis
definitiones ab Aristotele cap. 2^o
allatas, non malè hæc à multis ad-
fertur: Demonstratio est syllogismus
constans ex propositionibus veris, ne-
cessariis & prioribus ipsa conclusione: ly Syllogismus est
genus definiti, cætera differentiæ locum obtinent,
& per ea demonstratio differt à Syllogismo diale-
ctico, Sophistico, &c. comprehendit tamen omnem
Syllogismum Theologicum, constantem unâ præ-
missa de fide, aliâ naturali certâ, conformiter ad
communem sententiam docentem Theologiam ef-
fe veram scientiam; non quidem prout scientia fuit
in mente Aristotelis certa naturaliter, sive per evi-
dentiam naturalem; quia certitudinem hanc ad
scientiam requisivit, eò quòd aliam divinæ revela-
tionis istâ majorem, ex ignorantia fidei, non agno-
verit; sed prout certa est in mente fidelis Theologi,
certitudine revelationis divinæ, sicut alterius præ-
missarum, ad quam maximè attendere debemus.
Pro majori tamen definitionis intelligentia, sit

PARAGRAPHVS I.

*Cur in definitione dictum sit ex veris, & non
ex verioribus intensivè & formaliter.*

II. R Espondeo, quia una propositio non po-
test esse formaliter & intensivè verior al-
tera; ita PP. Suarez, Hurtadus, Arriaga, &c. Contra
Sotum, Toletum, Cajetanum, Masium, Mur-
ciam, &c.

III. Probatur ex Aristotele, ab eo, quod res est,
vel non est (puta prout esse per propositionem enun-
tiatur) propositio est vera, vel falsa; una autem res nec
magis est, nec magis non est, quam alia; licet fortè
magis necessario sit, vel nō sit, & ideo una propositio
sit magis vel minus necessaria, quàm alia, sive id-
eò uni magis repugnet falsitas, quàm alteri, ut
Deus est existens, Petrus est existens; quo sensu Deus
dicitur magis ens, quàm creatura quævis, & pro-
positiones fidei veriores naturalibus. Dic propor-
tionaliter idem de propositionibus falsis, his v. g.
Petrus est brutum, Petrus est doctus. illa enim minus
necessario est vera, quàm hæc, sive illi magis re-
pugnat veritas, quàm huic.

IV. Confirmatur, veritas est quædam similitudo,
æqualitas & identitas actus in representando, cum
objecto in essendo; sed ut summum ratione fun-
damenti